

vero imprimis per passionem & mortem crucis. Nec mirum est, huius hic Petrum fecisse, ex statu exinanitionis, præ ceteris mentionem: Est enim gradus status exinanitionis ultimus, & ille quidem, ad quem hi ipsi auditores Petri fuerant cooperati, nunc in mortem crucis Christi consentiendo, nunc impiis clamoribus Christum ad supplicium crucis postulando. De statu exaltationis Christi agunt versiculi consequentes, 24, sqq. Dicitur autem Christus, h. l., ἐκδοτός, hoc est, *traditus*, vel, Syro interprete, *segregatus*, secundum alios, *deditus* & *expositus*, seu *obiectus*, *hostibus*, quoniam ἐκδοτοί proprie sunt & dicuntur profanis scriptoribus illi, qui deduntur hostibus, uti GROTIUS vult, *ad h. l.*, licet ex HENRICO STEPHANO, *in Thesouro, T. I, p. 995*, & aliunde constet, varias esse huius vocabuli, etiam secundum profanos scriptores significationes, quæ non omnes inuoluant relationem hostium. Optima eius interpretatio, hoc quidem in loco, desumitur ex re ipsa, de qua hic agitur, & ex illis Scripturæ locis, in quibus Christus, eodem considerandi modo, nominatur παραδοθείς, v. c. Matth. XVII, 22, ubi Christus dicitur παραδοθείς εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, & XX, 18, ubi idem dicitur παραδοθείς τοῖς ἀρχιερεῦσι, καὶ γραμματεῦσι, καὶ κατακρινῶσιν αὐτὸν θανάτῳ, καὶ παραδώσωσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν, εἰς τὸ ἐμπαῦξαι, καὶ μαστιγῶσαι, καὶ σαυρῶσαι, *conf. Luc. XXII, 53, sqq.* Patet ex his locis, cum nostro oraculo diligenter collatis, vocabulum illud, quo Christus dicitur ἐκδοτός, omnium optime explicari, per *Christum traditum*, in mortem scilicet crucis, ad opus redemptionis perficiendum. Apparet porro, hanc traditionem Christi considerari posse dupliciter; vel, α) uti ab æterno a Deo unitrino est constituta, seu ordinata, in consilio S. S. Trinitatis, secundum præscientiam diuinam, vel, β) uti facta est in tempore. De priori agit nostrum oraculum: De posteriori nos instruunt loca allegata. Sed danda est opera, ne eodem putetur modo, aut dicatur eodem sensu, Christus *traditus* a Deo unitrino, & semetipso, quo dicitur *traditus*, vel a Juda proditore, vel a Judæis & Pilato, ad passionem & mortem crucis, sicuti non eodem respectu, aut sensu, dicitur Josephus missus in Ægyptum a fratribus invidis, & a Deo, sapientissimo consilio omnia dirigente ad bonum exitum, interpretibus,
ipso

ipso